



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Vita Et Epistola Ioannis Papae XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

AGAPITVS C. APVD S. THEODERICVM. OTTO I. IMPERATOR.
P. II. LUDOVICVS IV. R. FR. 95

ANNO CHRISTI 955. vt in multis Conciliis firmatum est, quia diuina ministeria contrectant, ab vxoribus abstineant. Ceteri autem clerici, quando ad maturiorem aetatem peruererint, licet nolentes, ad continentiam cogantur.

CONCILIVM

APVD SANCTVM THEODERICVM,
ADVERSVS RAGENOLDVM COMITEM.

FLODOARDVS *in chronico*. Anno DCCCCLIII. Synodus quinque episcoporum apud sanctum Theodericum in territorio Rhemensi celebratur, Artaldo archiepiscopo præsidente: ad quam vocatus Ragenoldus comes, ob res ecclesiasticas ab eo peruersas, venire noluit; sed deprecatus est regem, ne excommunicaretur, vt ad Synodum mitteret: cuius excommunicatio, rege petente, tunc intermissa est. *Idem auctor ab Odalrico Artaldi successore anno tandem DCCCLXVI. excommunicatum docet*. Odelricus, *inquit*, archiepiscopus Ragenoldum comitem excommunicat pro villis ecclesiarum Rhemensis, quas pertinaciter detinebat: & ipse comes loca quædam eiusdem episcopii cum suis peruvadens, rapinis incendiisque deuastat.

VITA ET EPISTOLA

IOANNIS PAPÆ XII.

JOANNES Alberici illius qui Vrbi dominabatur filius, Ioannes
qua aetate
pontifex fa-
ctus fit. apostolicam sedem inuasit anno Domini 955. tempore Constantini VIII. imperatoris. Et quamquam huic legitima aetas aliaque omnia deessent quæ in legitimo pontifice requiruntur, tamen accedente postea consensu totius cleri visum est hunc potius esse tolerandum, quam ecclesiam schismate aliquo, quod alioquin exortum fuisset, diuidendam. Cumque vniuersa ecclesia catholica sciret

Nomen
suum pri-
mus post
Petrum
mutauit.

Legatio-
nem ad Ot-
tonem mi-
lit Ioannes.

Ottonem
imperato-
rem creat.

minus malum esse caput quantumlibet monstrosum pro-
ferre , quam vnum corpus in duo secari , & duobus capi-
tibus informari , eumdem toto orbe terrarum tamquam
verū & legitimū pontificem venerata fuit. Hic reuera
primus est inuentus , qui sibi nomen mutauit , quique ex
Octauiano pro mutata non exuta tyrannide voluit Ioan-
nes nominari. Ob temporale Vrbis dominium , Albericus
pater filium suum Octauianum nominauerat : ille econ-
tra pontificatum & spirituale dominium totius orbis con-
secutus , spirituali nomine hoc Ioannis appellari voluit.
Idem iuuenili ardore spirans minarum & cædis , collecto
exercitu copiisque auxiliariis ex Spoletano ducatu con-
ductis , aduersus principem Capuanum nomine Pandul-
phum bellum mouit : cui cum ille Salernitanorum ope &
auxilio fortiter resisteret , ad propria redire pacemque
per legatos petere coactus fuit. Huius tempore Beren-
garius solitus timore defuncti Luithulphi filii Ottonis ,
qui ad coercendam ipsius Berengarii tyrannidem in Ita-
liam missus erat , per vniuersam Italiam impune graffia-
batur , & profana simul & sacra absque delectu deuasta-
bat. Qua de causa Ioannes papa tyrannidem illam non
amplius ferens , legationem misit ad Ottonem regem Ger-
maniae , suppliciter , auctore Luitprando , literis & signis re-
gem orans , quatenus pro Dei amore , sanctorumque apo-
stolorum Petri & Pauli , quos delictorum suorum cuperet
esse remissiores , se sibique commissam sanctam Romanam
ecclesiam ex suorum inimicorum fauibus liberaret , ac sa-
luti & pristinæ libertati restitueret. Cumque idem eodem
tempore auctore Deo Mediolanenses per deputatam le-
gationem petiuissent , Otto , antequam e Germania rece-
deret , Vvormatiæ comitia habuit , in quibus filium suum
Ottonem , ex Adelheide genitum , creavit regem , eumque
Vvilemo Moguntino archiepiscopo ex alia vxore filio
nutriendum commisit , præstataque per iuramentū fideli-
tate & securitate sedi apostolicae , de futura successione in
Romano imperio eiusque iuribus ac titulis promissionem
accepit. His præuiis rex piissimus , inquit Luitprandus , col-
lectis copiis in Italiam percitus venit , tantoque Berenga-
rium atque Adelbertum celerius expulit , quanto euidētius
constat , quod commilitones Petrum & Paulum sanctissi-
mos

mos apostolos habuit. Postquam ablata suis quæque domini restituisset, anno Christi Redemptoris 962. qui erat septimus annus pontificatus Ioannis, Romam venit, ibique magno cum honore miroque ornatu & apparatu suscepitus, a pontifice cum applausu totius populi imperator & Augustus vocatus & ordinatus vocationem imperii suscepit. Quæ vero post hæc legitime peracta Ioanni papæ restituerit, quæque dona ille ecclesiæ Romanæ adiecerit, indicat ipsum authenticum donationis diploma, quod aureis literis exaratum Romæ in castello sancti Angeli afferatur. Pro gratia referenda pontifex omnesque Vrbis optimates supra corpus beati Petri iurarunt, se nunquam Beringario atque Adelberto auxiliaturos: atque ita imperator Roma discedens Papiam se contulit.

Interea Ioannes pontifex ad defectionem solicitatus, immemor iuramenti præstiti, Adelberto se coniunxit. Quod cum imperator per nuntios vndique redeuntes verum esse intellexisset, Luitprandus eum dixisse scribit: Puer est, facile bonorum immutabitur exemplo virorum: spero eum obiurgatione honesta, suasione liberali facile ex illis se emersurum malis. Cum hac de causa imperator Romam rediisset, papa simul & Adelbertus aufugerunt. Ciues vero, inquit Luitprandus, sanctum imperatorem cum suis omnibus in Vrbem susceperunt, fidelitatemque promiserunt: hæc addentes, firmiterque iurantes, nunquam se papam electuros aut ordinaturos præter consensum atque electionem domini imperatoris Ottonis Cæsaris Augusti, filiique ipsius regis Ottonis. Post triduum quam Romam venisset, auctoritate Ottonis habita est Pseudosynodus, qua Ioanne in ordinem redacto subrogatus est pseudopapa Leo octauus; quem ille, post abitum Ottonis in Vrbem reuocatus, velut adulterum & inuasorem sedis depositus, rescissis omnibus illius Conciliabuli actis, quibus nullo iuris & antiquitatis ordine seruato, Ioanne papa amoto, suffectus fuerat. De infausto Ioannis papæ exitu, auctor qui afferitur Luitprandus hæc scribit: Quadam nocte extra Romam dum se cum cuiusdam viri uxore oblectaret, in temporibus adeo a diabolo est percussus, ut intra dierum octo spatium eodem sit vulnere mortuus. Non quia, vt ille ait, iuste damnatus, iniuste rece-

Ioannes deficit ab imperatore.

Ioanne
papa amo-
to Leo VIII.
pseudopa-
pa subroga-
tur.

Concil. Tom. 25.

N

ptus fuerit; sed quia tot tantisque vexationibus a Deo admonitus a peccatis consuetis non abstinuit. Quamquam ista quæ apud Luitprandum narrantur, non tam ipsius sint, quam hominis aduersarii, & Ottoni plus nimio adscribentis, tamen veritatem eorum non controuerto; vt pote quod nullum dispendium afferant fidei catholicæ, de qua vñanimi consensu profitemur, Petrum Petriique successores post acceptam Christi promissionem, in moribus quidem, non autem in fide, deficere posse. Contigisse obitum Ioannis papæ anno 964. pridie Idus Maii, in Reginonis aetario afferitur.

EPISTOLA IOANNIS PAPÆ XII.

AD SANCTVM DVNSTANVM CANTVARIENSEM
EPISCOPVM.

De concessione pallii.

*Ioannes episcopus seruus seruorum Dei confratri Dunstano
Dorobernensis ecclesiæ archiepiscopo vita perpetua
permanendam in Christo salutem.*

Si pastores ouium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, & oculis conspeçtant vigilantibus, ne aliqua ex ouibus aut errando pereat, aut laniata morsibus rapiatur, quanta cura quantoque sudore debemus esse perugiles ob salutem animarum, qui dicimur pastores esse earum? Attendamus igitur nos officium exhibere erga custodiam ouium dominicarum, ne quasi lupo veniente territi fugiamus, ne in die diuini examinis pro desidia nostra ante summum pastorem & negligentia vestra excruciemur, vnde modo honoris reuerentia in sublimiore arce ceteris diiudicamur. Primatum itaque tuum, in quo tibi ex more antecessorum tuorum vires apostolicæ sedis exercere conuenit, ita tibi ad plenum confirmamus, sicut beatum Augustinum eiusque successores prefatae ecclesiæ pontifices habuisse dignoscitur.

Pallium vero fraternitati tuæ ex more ad Missarum solennia celebranda commendamus: quo tibi non aliter vti concedimus quam eo vsu quo antecessores nostri prodi-

derunt, ecclesiæ tuae priuilegiis in suo statu manentibus. Neque tua prudentia hoc incognitum habet, vel quicumque, quantum indumenti honor moderatione actuum tremendus erit. Honestati morum tuorum hæc ornaamenta conueniunt, quatenus, Deo auctore, posses esse conspicuus, ita ut vita tua filiis tuis sit regula: & in illa, si qua fortitudo illis inest, dirigantur, dum in ea quæ imitantur aspiciant. *& in fine epistolæ.*

Sancta Trinitas fraternitatem vestram gratiæ suæ protectione circumdet, atque ita in timoris sui viam te dirigat, ut post vitæ huius amaritudinem ad æternam peruenire simul mereamur dulcedinem. Et hoc scriptum est per manum Leonis scribentis sedis apostolice in mense Octobris, indictione quarta, die primo Kalendas Octobris, anno * duodecimo summi pontificis Ioannis.

* sexto,
Ioannis
pontifi-
ci.

D I P L O M A

O T T O N I S I M P E R A T O R I S.

De confirmatione iurium Romanæ ecclesiæ. Autographum ipsum aureis literis exaratum afferuatur
Romæ in castello sancti Angeli.

*In nomine Domini Dei omnipotentis Patris & Filii
& Spiritus sancti.*

Ego Otto Dei gratia imperator Augustus, vna cum Otone gloriose rege filio nostro, diuina ordinante prouidentia, spondemus atque promittimus per hoc pactum confirmationis nostræ tibi beato Petro principi apostolorum & clavigero regni cælorum, & per te vicario tuo domino Ioanni summo pontifici & uniuersali XII. papæ, sicut a prædecessoribus vestris usque nunc in vestra potestate atque ditione tenuistis & dispositis ciuitatem Romanam, cum ducatu suo, & suburbanis suis, atque viculis omnibus, & territoriis eius, montanis, & maritimis, litoribus atque portibus, seu cunctis ciuitatibus, castellis, opidis, ac viculis Tusciae partibus, id est, Portum, Centumcellas, Cerem, Bledam, Marturianum, Sutrium, Nepem, Castellum, Gallisem, Ortem, Polimartium, Ameriam, Tudam, Perusiam cum tribus insulis suis, id est Maiore, Minore, Puluensem, Narniam, & Utriculum, cum omni-

Concil. Tom. 25.

N ij

bus finibus ac territoriis ad supra scriptas ciuitates pertinentibus. Nec non exarchatum Rauennatem sub integritate, cum vrbibus, ciuitatibus, opidis & castellis, quæ piæ recordationis domnus Pippinus & domnus Carolus excellentissimus imperator, prædecessores videlicet nostri, beato Petro apostolo & prædecessoribus vestris iamdudum per donationis paginam contulerunt, hoc est ciuitatem Rauennam, & Æmiliam, Bobium, Cesenam, * Forum populi, Forum Liuii, Fauentiam, Imolam, Bononiā, Ferrariam, Comiaclum, & Hadrianis atque Gabellum, cum omnibus finibus, territoriis atque insulis, terra marique ad supra scriptas ciuitates pertinentibus, simul & Pentapolim, videlicet Ariminum, Pisaurum, Fanum, Senogalliam, Anconam, Ausimum, Humanam, Hesim, Forum Sempronii, Montem Feltri, Vrbinum, & territorium Balnense, Calles, Luciolis, & Eugubium, cum omnibus finibus & territoriis ad easdem ciuitates pertinentibus.

Eodem modo territorium Sabinense, sicut a domno Carolo imperatore antecessore nostro beato Petro apostolo per donationis scriptum concessum est sub integritate. Item in partibus Tusciae Longobardorum Castellum Felicitatis, Vrbem veterem, Balneum regis, Ferentum, Viterbum, Ortem, Martam, Tuscanam, Suanam, Populonium, Rosellas cum suburbanis atque viculis omnibus, & territoriis ac maritimis, opidis ac viculis seu finibus omnibus. Itemque Almus cum insula Corsica, deinde in Suriano, deinde in monte Bardonis, deinde in Berceto, exinde in Parma, deinde in Regio, exinde in Mantua, atque in Monte Silicis, atque prouincia Venetiarum & Itria, nec non & cunctum ducatum Spoletanum, seu Beneuentanum, vna cum ecclesia sanctæ Christianæ posita prope * Padum iuxta Padum quarto millario.

Item in partibus Campaniæ Soram, Arces, Aquinum, Arpinum, Theanum, & Capuam, nec non patrimonia ad potestatem & ditionem vestram pertinentia, sicuti est patrimonium Beneuentanum, & patrimonium Neapolitanum, & patrimonium Calabriæ superioris & inferioris. De ciuitate autem Neapolitana cum castellis & territoriis & finibus & insulis suis sibi pertinentibus, sicut ad eas-

* Forum
Pompi-
lii,

* Padua

dem respicere videntur , nec non patrimonium Siciliæ ,
si Deus nostris illud tradiderit manibus. Simili modo ci-
uitatem Caietam & Fundum cum omnibus earum perti-
nentiis.

Insuper offerimus tibi, beate Petre apostole, vicario-
que tuo domno Ioanni papæ & successoribus eius, pro no-
stræ animæ remedio , nostrique filii & nostrorum paren-
tum, de proprio nostro regno ciuitates & opida cum pi-
scariis suis, id est, Reatem, Amiternum, Furconem, Nur-
siam, Baluam, & Marsim , & alibi ciuitatem Interamnem
cum pertinentiis suis.

Has omnes supradictas prouincias, vrbes, ciuitates, opi-
da & castella, viculos & territoria, simulque & patrimo-
nia pro remedio animæ nostræ & filii nostri, siue paren-
tum nostrorum, ac successorum nostrorum, & pro cuncto
a Deo conseruato atque conseruando Francorum popu-
lo, iam dictæ ecclesiæ tuae, beate Petre apostole , & per te
vicario tuo spiritali patri nostro domno Ioanni summo
pontifici & vniuersali papæ eiusque successoribus usque
ad finem sæculi, eo modo confirmamus, vt in suo detineat
iure, principatu atque ditione.

Simili modo per hoc nostræ delegationis pactū confir-
mamus donationes , quas piæ recordationis dominus Pip-
pinus rex, & postea dominus Carolus excellentissimus im-
perator, beato Petro apostolo spontanea voluntate con-
tulerunt: nec non & censum vel pensionem, seu ceteras da-
tiones, quæ annuatim in palatum regis Longobardorum
inferri solebant, siue de Tuscia , siue de ducatu Spoletano,
sicut & in suprascriptis donationibus continetur , & in-
ter sanctæ memorie Hadrianum papam, & dominum Ca-
rolum imperatorem conuenit , quando idem pontifex ei-
dem de suprascriptis ducatis, id est Tuscano & Spole-
tano, suæ auctoritatis præceptum confirmauit, eo scilicet
modo, vt annis singulis prædictus census ad partem ecclie-
siæ beati Petri apostoli persoluatur, salua super eosdem du-
catus nostra in omnibus dominatione , & illorum ad no-
stram partem & filii nostri subiectionem. Ceterum, sicut
diximus, omnia superius nominata ita ad vestram par-
tem per hoc nostræ confirmationis pactum roboramus,
vt in vestro permaneant iure, principatu atque ditione,

& neque a nobis neque a successoribus nostris per quodlibet argumentū, siue machinationem in quacumque parte vestra potestas imminuatur, aut a vobis inde aliquid subtrahatur de suprascriptis videlicet prouinciis, vrbibus, ciuitatibus, opidis, castris, viculis, insulis, territoriis, atque patrimoniis, nec non & pensionibus atque censibus, ita vt neque nos ea facturi sumus, neque quibuslibet ea facere volentibus consentiamus. Sed potius omnium quæ superius leguntur, id est prouinciae, ciuitates, vrbes, opida, castella, territoria, & patrimonia, atque insulæ, censusque & pensiones ad partem ecclesiæ beati Petri apostoli, atque pontificum in sacratissima illius sede residentium, nos inquantum possumus defensores esse testamur, ad hoc, vt ea in illius ditione, ad vtendum, & fruendum, atque disponendum firmiter valeant obtineri, salua in omnibus potestate nostra, & filii nostri, posteriorumque nostrorum, secundum quod in pacto & constitutione ac promissionis firmitate Eugenii pontificis successorumque illius continetur, id est:

De Romæ
nořu pon-
tificum elec-
tione.

Vt omnis clerus, & vniuersa populi Romani nobilitas, propter diuersas necessitates, pontificum irrationabiles erga populum sibi subiectum asperitates retundendas, sacramento se obligent, quatenus futura pontificum electio (quantum vniuscuiusque intellectus fuerit) canonice & iuste fiat; & vt ille qui ad hoc sanctum atque apostolicum regimen elititur, nemine consentiente, consecratus fiat pontifex, priusquam talem in praesentia missorum nostrorum, vel filii nostri, seu vniuersæ generalitatis faciat promissionem pro omnium satisfactione atque futura conseruatione, qualem dominus & venerandus spiritalis pater noster Leo sponte fecisse dignoscitur.

Præterea alia minora huic operi inferenda præuidimus, videlicet, vt in electione pontificum, neque liber, neque seruus, ad hoc venire præsumat, vt illis Romanis, quos ad hanc electionem per constitutionem sanctorum patrum antiqua admisit consuetudo, aliquod faciat impedimentum. Quod si quis contra hanc nostram institutionem ire præsumperit, exilio tradatur.

Insuper vt nullus missorum nostrorum cuiuscumque impeditiois argumentum componere in præfatam ele-

ctionem audeat, prohibemus: nam & hoc omnimodis instituere placuit, vt qui semel sub speciali defensione domni apostolici siue nostra fuerint suscepiti, impetrata iuste vtantur defensione. Quod si quis quemquam illorum qui hoc promeruerunt violare præsumperit, sciat se periculum vitæ suæ esse incursum.

Illud etiam confirmamus, vt domino apostolico iustum in omnibus seruent obedientiā, siue ducibus ac iudicibus suis ad iustitiam faciendam. Huic enim institutioni hoc necessario annexendum esse perspeximus, vt missi domini apostolici seu nostri semper sint constituti, qui annuatim nobis vel filio nostro renuntiare valeant, qualiter singuli duces ac iudices populo iustitiam faciant. Hanc imperialem constitutionem quomodo obseruent qui missi, discernimus vt primum cunctos clamores, qui per negligenciam ducum seu iudicium fuerint inuenti, ad notitiam domini apostolici deferant. Et ipse vnum e duobus eligat, aut statim per eosdem missos fiant ipsæ necessitates emendatae, aut missio nostro nobis renuntiante per nostros missos a nobis directos emendentur. Hoc vt ab omnibus fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ & nostris firmum esse credatur, propriæ manus signaculo & nobilium optimatum nostrorum subscriptionibus hoc pactum confirmationis nostræ robaramus, & bullæ nostræ impressione obsignari iussimus.

Signum domni Ottonis serenissimi imperatoris, ac suorum episcoporum abbatum & comitum.

Signum Adalgagi Hammaburgensis ecclesiæ archiepiscopi.

Signum Hartberti Curiensis ecclesiæ episcopi.

Signum Druogonis Osnaburgensis ecclesiæ episcopi.

Signum Votonis Argentenensis ecclesiæ episcopi.

Signum Ottuini Hildesheimensis ecclesiæ episcopi.

Signum Landuwarti Mindenensis ecclesiæ episcopi.

Signum Otgeri Nemetinensis ecclesiæ episcopi.

Signum Gezonis Tortonensis

ecclesiæ episcopi.

Signum Hucberti Parmensis ecclesiæ episcopi.

Signum Vvidonis Mutinensis ecclesiæ episcopi.

Signum Attonis Fuldensis monasterii abbatis.

Signum Guntharii Herolfendenensis monasterii abbatis.

Signum Eberarti comitis.

Signum Guntharii comitis.

Signum Burgharti comitis.

Signum Vtonis comitis.

Signum Cronratis comitis.

Signum Ernustes.

Signum Thietheris, Riddages,

Liupen, Hartuuges, Arnolues,

Ingilthies, Burchartes, Retinges.

Anno dominice incarnationis nongentesimo sexagesimo secundo, indictione quinta, mense Februarii, decimotertio die eiusdem mensis, anno vero domini Ottonis imperii inuictissimi imperatoris vigesimo septimo, facta est haec pactio feliciter.

CONCILIVM
AD MATRONAM FLVVIVM
IN PAGO MELDENSI, ANNO DCCCCLXII.

ANNO
CHIRISTI
961.

POST obitum Artaldi archiepiscopi, quem anno DCCCCLXI pridie Kalendas Septembres vita functum tradunt, annitentibus episcopis quibusdam, ut Hugoni vacua iam sedes Rhemensis redderetur, res in Synodo discussa est episcoporum XIII. qui ex duabus prouinciis, ut auctor est in chronico Flodoardus, hoc anno sub medium Aprilem conuenere, nihilque sibi de Hugonis causa inconsulto Romano pontifice statuendum censuere. Synodus, inquit, tredecim episcoporum in pago Meldensi super Maternam fluum, ex Rhemensi videlicet ac Senonensi dioecesi celebratur, praesidente Senonensi praefule, fatagentibus quibusdam episcopis, ut Hugoni expedito redderetur Rhemensi episcopum: renitentibus autem præcipue Roricone Laudunensi & Gibuino Catalaunensi præfulibus, & afferentibus quod a tot episcopis excommunicatus a minore numero absolui non poterat, ita relinquitur usque ad interrogationem papæ Romani. Et paucis interieftis, post allatum Roma responsum, reiecto Hugone, Odalricum in Rhemensi ecclesia ordinatum fuisse docet his verbis: Legatio veniens ab Ioanne papa intimat præfatum Hugonem, quondam episcopum, tam ab ipso papa, quam ab omni Romana Synodo excommunicatum: sed & ab alia Synodo apud Papiam celebrata. Cuius legationis redditi certiores per Brunonem archiepiscopum, elegimus ad episcopium Rhemensi Odalricum illum clericum, Hugonis cuiusdam comitis filium, fauente Lothario rege, cum regina matre, præfatoque Brunone quique Rhemis ordinatur ab episcopis Vvidone Suessonico, Roricone Laudunensi, Gibuino Catalaunensi, Hadulfo Nouiomensi, Vvicredo Virdunensi.

NOTA